

SVCCINCTA
DEMONSTRATIO
DE ANNO, MENSE, AC DIE
DOMINICÆ PASSIONIS AC NATIVITATIS:

A R. P. PHILIPPO LABBE, BITVRICO, SOCIETATIS IESV,
Iam ab annis 1638. & 1654. in lucem emissa.

Præmittuntur Pronuntiata vndecim, quibus sententia verior stabilitur.

I.

PRIMVM, constat passum esse Christum Pilato præside, atque adeò Tiberio Romanis imperante. Vnde primò reiicitur S. Irenæi sententia, qui cap. 40. lib. 2. aduersus Æonas Valentiniani acrius disputans, passionem Christi Domini (quem anno ineunte ætatis 30. Tiberij, vel 15. vel consequente baptizatum fatetur) post annum æræ Christianæ 45. accidisse contendit, cùm eo tempore, non iam Tiberius aut Caligula, sed Claudius imperium obtineret, ruátque proinde omnis Ecclesiæ nascentis indubitata apud omnes Historia. V. Peretium. Confutatur deinde barbara illa, vt vocat Petauius, Sigeberti, Mariani Scoti, aliorumque Computistarum opinatio, qui anno æræ Christianæ 12. obiisse Christum asserunt, biennio, si superis placet; ante obitum Augusti, quem anno 14. à Natali Domini vel vero, vt nos cum quibusdam eruditis sentimus, vel saltem vulgari, vt Caluisius, Petauius, Tirinus, aliíque recentiores existimant, vitâ functum Astronomici characteres Fastis Romanis adiuncti liquidò demonstrant.

II.

SECVNDVM, tria saltem Paschata post baptismum peregisse Christum: quod ex Euangeliis, maximè S. Ioannis, exploratissimum est. Vnde apud posteros explosa est veterum quorundam Patrum, Tertulliani, Clementis, aliorúmque sententia, qui anno Christi vel 29. vel 30. Tiberij 15. Coss. Geminis, & baptizatum & passum esse Dominum voluerunt.

III.

TERTIVM, in Parasceue Sabbati, quæ est feria sexta, seu, vt profani vocant dies Veneris, cruci fuisse suffixum, & vna Sabbatorum seu feria primâ, quam profani diem Solis, nos Dominicum dicimus, resurrexisse. Atque huic pronuntiato veterum nemo, quod sciam, refragari ausus est.

IV.

QVARTVM, passum esse Christum Dominum die primâ Azymorum, seu ipso vltimi Paschæ die, vel certè pridie quàm Iudæi Pascha suum celebrarent. Hoc quoque cuintis immota Euangeliorum omnium fides.

V.

QVINTVM, diem Paschæ apud Iudæos ex Mosis decreto die 15. primi mensis, seu, quod idem est, Lunâ 15. non populari tantùm, sed etiam Astronomicâ peragi solitum esse. De quo videsis pluribus P. Pererium lib. 11. in Danielem Et sanè decretum illud apud omnes hactenus seu Iudæos siue Catholicos, velut quoddam fidei dogma summo consensu receptum, vnus quod sciam labefactare aggreditur P. Petauius, dum ex S. Epiphanio contendit Iudæos vitioso cyclo vsos, tribus integris diebus verum plenilunium, quod 15. Lunâ contingit, per ea tempora anticipasse. Quod cùm de nouilunio consequenter dicendum sit, ruit omnis eius super ea re doctrina; vt enim in plenilunio labi potuisse Iudæos quamuis grauatè concedam, quis credat sacerdotes eorum personantibus tubis Neomenias ac Nouilunia populo denuntiasse tribus diebus ante veram luminarium coniunctionem, cum mendacij & imposturæ singulis mensibus, qui apud eos lunares erant, palam conuinci vel ex ipsis Lunæ præcedentis cornibus potuissent? Ad hæc duo triave adde. Primum, S Dionysium in Astronomicis apprimè versatum, prodigiosum solis defectum, qui patiente in Iudæa Christo mirantes eius & Apollophanis Philosophi oculos detinuit, in plenilunio, ἐν τῇ πανσελήνῳ, non triduo ante, conspexisse. Alterum sacros profanósque scriptores Iudæos, Græcos, Latinos, 14. & 15. Lunam pro 14. & 15. die mensis Nisan promiscuè vsurpasse. Postremum quosdam quidem nouilunia Iudæorum ad primam redeuntis Lunæ phasim reuocasse, neminem verò hactenus extitisse, qui diceret nouilunia tot diebus in Palestinâ corniculatam lunæ faciem præcessisse.

Maneat igitur vetus ac trita indagandæ Passionis via, quæ Astronomicis demonstrationibus & Lunæ rationibus innititur: Atque ex hoc, duobúsque proximis pronuntiatis conuincantur erroris qui Passionem Dominicam anno à partu Virginis vel 31. vel 32. 34. vel 35. illigarunt: Nullo enim ex his annis incidit plenilunium, seu dies Paschæ in feriam sextam, seu parasceuen sabbati, sed in feriam vel secundam vel tertiam incurrisse, Astronomorum, quibus in sua arte credendum est, certissimæ obseruationes euincunt.

VI.

SEXTVM, Christum D. anno ætatis 33. vel labente vel saltem cum tribus prætereà mensibus expleto diem extremum obiisse. Quod tum ex Eusebio, aliisque antiquioribus, quos citant recentiores, tum maximè ex Ven. Beda colligitur: Cuius hæc sunt verba cap. 40. libri de temporum ratione. *Habet Ecclesiæ fides Dominum in carne paulo plus 33. annis vsque ad sue tempora passionis vixisse, quia videlicet 30 annorum fuerit baptizatus, & tres semis annos post baptismum prædicauerit.* Idem quoque ibidem ait *sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam fidem illam indiculo ipsis solere testari, qua suis in cereis annuatim solet inscribere; vbi tempus Dominica Passionis in memoriam populis reuocans, numerum triginta semper tribus annis minorem, quam ab eius incarnatione Dionysius ponit, adnotat.* Quantum ergo ab Ecclesiæ fide absunt, qui vel Christi Domini vitam triginta & vno annis circumscribunt, vel eam ad 35. 36. aut 37. protendunt: tot enim anni à Iuliano 40. vel 41. ad 78. quo patiente Christo Dionysij & Phlegontis stupenda eclipsis apparuit, numerantur.

Obseruandum verò est Bedam multósque Computistas, imò & Chronicon Alexandrinum, annos vitæ Christi non à Virginis partu, aut Filij circumcisione, sed ab ipsa incarnatione & conceptione Domini numerare, & nouem illos menses quibus aluo materna clausus deliquit pro vnius integrique anni spatio in summam recipere: de Computistis vide Petauium. Chronicon enim eadem sentire ex eo ostendo, quod ab anno Monarchiæ Romanæ 31. quo Consules fuerunt C. Cæsar & Paulus Æmilius ad annum Tiberij 19. Olymp. 202. quartum, & Monarchiæ Romanæ 63. non fluxerint anni 33. totidémque menses; sed 32. dumtaxat. Dicendum ergo est nouem illos menses, quos Coss. Lentulo & Pisone in vtero matris Christus consumpsit, vnius anni locum obtinere.

VII.

SEPTIMVM, Christum anno ætatis 30. ineunte, à Ioanne fuisse baptizatum, quod communis Ecclesiæ sensus ex capite tertio. Euangelij Sancti Lucæ, conspiran-

tibus maximè antiquis Patribus deriuant. Sunt enim iſta ſcripturæ verba Græca, Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. Latina: *Et ipſe* IESVS *erat incipiens quaſi annorum triginta*, quibus conſonant Arabica & Syriaca verſiones apud P. Phelippæum in Oſeam, p. 751. quæ ſi authenticæ ſint, rem omnem conficiant. Hæc enim Chriſtum baptiſmi tempore vocat *quaſi filium 30. annorum*: illa verò diſertè affirmat, *Et* IESVS *cœperat ingredi in 30. annum*; quæ verba quemadmodum & ſuperiora Græca atque Latina vix ad alium commodum ſenſum detorqueri queunt. Enimuero, vt omittam veteres illos annuæ prædicationis aſſertores, ita ſuadent Irenæus lib. 2. cap. 38. & 39. Origenes, Epiphanius, Euſebius, S. Thomas 3. p. q. 39. a. 3. & quem in fronte collocare debueram, fortiſſimus Chriſti martyr Ignatius in Ep. ad Trallianos, cuius verba citat Chron. Alex. καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη, *annos agens 30. baptizatus eſt*, neque enim, vt docti viri ante me obſeruarunt, participium illud πολιτευσάμενος, aliud ſæpe ſonat apud Græcos, quàm πολιτευόμενος, vt nec apud Lucam ἐπλήσθησαν, quàm ἐπλήσθηντο, vt propterea neceſſe non fuerit veterem verſionem ſollicitare, cum etiam noua recepta & ex mente Baronij & Gordoni, qui ſuum Ignatium ambitioſiùs prædicant, legendo, *expletis tribus annorum decadibus*, nihil contra nos concludi poſſit, ſi ſanctum illum Patrem nouem ab Incarnatione menſes anni vnius loco habuiſſe cum Chronico Alexandrino fateamur. Conſule præterea, ſi vacat, Pererium, Baradium, Suarem, Salianum, Contzenium, aliósque fuſiùs omnia pertractantes. Nos enim multa, paucis, & clarè conamur dicere. Quid ergo de iis dicendum, qui anno ætatis tertio & trigeſimo Chriſtum ad baptiſmum acceſſiſſe ex anticipatâ natiuitatis Dominicæ poſitione profiteri non verentur: quos acriùs fortè quàm par ſit obiurgant Annales.

VIII.

OCTAVVM. Tres ſolidos annos, τρία ὁλόκληρα ἔτη, vel vt ait Euſebius, τρία καὶ ἥμισυ ἔτη, prædicationi Redemptoris poſt baptiſmum aſſignari debere: atque adeò quatuor Paſchata eſſe numeranda. Quod ex vulgari fidelium & Eccleſiæ ſenſu Beda ſuprà citatus aſſeruit, & S. Ignatius, ὁ θεοφόρος, diſertè docet in laudata ad Trallianos Epiſtola, τρεῖς ἐνιαυτοὺς κηρύξας ἐκεῖθεν. Alios omitto, quos conferto agmine citant nuperi noſtrarum partium propugnatores. Hic tantum dico refelli inde diſcrepantes aduerſariorum noſtrorum ſententias, ſiue Petauij, qui tria tantum Paſchata recipit, ſiue Mercatoris, Scaligeri, atque Caluiſij, qui quinque poſt baptiſmum nuptiaſque Cananenſes commenti ſunt, ſiue Barradij, Saliani, aliorumque, qui quinque quidem Paſchata admittunt, poſt baptiſmum Chriſti, ſed totum eius διδασκαλίας & παραδοξοποιΐας tempus à nuptiis Galilææ inchoatum trium annorum interuallo nobiſcum includunt. Vide quæſo Baronium, Gordonum, Haruillæum, *&c.* quædam tamen ſubiiciemus infrà.

IX.

NONVM. Eo anno occubuiſſe D. IESVM quo contigit ſtupenda ſolis defectio, quam Euangelium S. Lucæ inter cætera clarè edocet, cap. 23. v. 44. præſertim ſi cum Origene tract. 35. in Matthæum legamus. *Erat autem hora ferè ſexta & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram ſole deficiente*, & ex S. Dionyſio Epiſtola 7. ad Polycarpum, quæ citatur in Chronico Alex. Origene, Euſebio, Hieronymo, Philopono, aliiſque antiquioribus, Chriſtiani omnes extra controuerſiam recipiunt. Eam autem eclipſim inſignis Olympiadum ſupputator Phlegon, qui ſub Hadriano ſcripſit anno æræ Chriſti circiter 137. & à Paſſione 110. accidiſſe teſtatus eſt anno quarto Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, imperante Tiberio. Ipſamet celeberrimi illius auctoris verba ex Alexandr. Chronico repræſento. Φλέγων ὁ τὰς ὀλυμπιάδας συναγαγὼν λέγει ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ συγγράμματι οὕτως· τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει. (non vtitur Arithmetico compendio, vt Kepleri, Petauij, aliorumque præcludatur effugium) τῆς σβ' ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου

μεγίστη τῶν γνωσμένων ἐγένετο, καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὡς καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι, σεισμός τε μέγας κτ̃ Βιθυνίαν γενόμενος Quatuot hic obiter mecum attende. Primum hora sexta contigisse. 2. maximam planéque inusitatam extitisse. 3. coniunctam terræmotibus. 4 tenebrarum spississimâ caligine horrendam: quæ omnia Euangelicæ eclipsi, quæ in plenilunio ex S. Dionysio contigit, omnino congruunt. Rectè ergo Origenes tum tract. 35 tum lib. 2. contra Celsum, Gentiles luculento Phlegontis testimonio reuincit, & ab Eusebio ad annum Tiberij 18. proximè elapsum, vt sentio, vel potius 19. vt etiam in Chronico Alexandrino leges, prodigiosissimus ille cælestium fulgorum defectus reuocatur. Dionysij verba epist. 7. ad Polycarpum si quis fortè desiderat, hæc sunt: *οὐ γὰρ ἂν συνόδου καιροῖς αὐτήν τε ἀντικρὺ ἀπὸ τῆς ἐνάτης ὥρας ἄχρι τῆς ἑσπέρας εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικαταστᾶσαν*, &c. quæ rectè & dilucidè exponit Pachymeres in Paraphrasi, *κατὰ διάμετρον γὰρ ἡ σελήνη [illegible] ὑπὸ τῷ ἡλίῳ ἦν*, &c. Neque alio sanè validiore ariete euertendam censeo Dekerij, Petauij ac Tirini sententiam, qui mortem Domini in anno æræ Christianæ 31 designant, aut Baronij, Gordoni, similiumque, qui in annum sequentem Iulianum 77. coniiciunt; cùm, vt acutè concludit auctor Chronici à nobis aliisque toties ac tantopetè laudatus, turpe sit, *οὐ καλὸν, οὐδὲ δίκαιον*, fideles Christianósque homines de illo anno ambigere, qui tam luculento *τῶν ἔξωθεν καὶ ἀπίστων* testimonio factus est omnibus *ἐπίσημος* ac manifestus. Adde Tertull. verba Apolog. cap. 21. *Eodem momento dies, medium orbis signante Sole subducta est. Eum mundi casum relatum in Archiuis vestris habetis*, &c. Ex quibus Phlegon, Africanus, Aliíque.

X

DECIMVM. In medio hebdomadis septuagesimæ, vt tanto ante Daniel prædixerat, mortuum esse Sanctum sanctorum; adeoque annis tribus totidémque mensibus postquam à Spiritu sancto post baptismum visibili specie inunctus est, lege caput 9. Danielis & doctissimam P. Petauij in XII. de Doctrina Temporum super ea re dissertationem, qui tamen ob coarctatam intra biennum Christi prædicationem cogitur cruentum incruentúmque Diuini agni sacrificium non in medio Olympiadis vltimæ, hoc est in 4. anno, sed in tertio dumtaxat collocare

XI.

VNDECIMVM seu postremum, non esse remouendos terminos, quos Ecclesia Catholica vero Christi Seruatoris natali præfixit, siue Dionysius Romanus Abbas, qui ante annos præter propter mille ac ducentos magna sanctitatis ac doctrinæ laude emicuit, eius æræ primus auctor extiterit: seu quod vero similius est, ad receptam iam inde ab ipsis nascentis Ecclesiæ cunabulis sententiam, Paschalem suam annorum periodum, à qua originem duxit æra communis, accommodare voluerit. Neque audiendos Scaligerum, Caluisium, aliósque, qui nupero inuento verum Domini nostri natalem à vulgari & Dionysiano, vt qq. vocant, qui diebus septem æræ Christianæ caput antecedit, distinxerunt. Sed de hoc plura inferius: interim adi, si vacat, P. Pererium lib. 11. in Danielem: ibi enim Ecclesiasticæ traditionis suggillatores eruditè non minus quàm solidè impugnat.

DEMONSTRATIONIS NOSTRÆ DE ANNO, MENSE AC DIE DOMINICÆ PASSIONIS,

PARS ALTERA.

EX his decem vndecimue pronunciatis, quorum priora Euangeliorum auctoritate certissimâ, reliqua communi penè omnium fidelium Ecclesiaque consensu recepta sunt, tum discrepantes aliorum sententiæ nullo negotio confutantur, tum nostra stabilitur ac corroboratur opinio, quam ideo præ cæteris amplexi sumus, quod omnibus hisce præsidiis insigniter munita sit, vt ex capitibus, quæ mox subiiciam, liquidò constabit.

I.

PRIMÒ enim contigit mors Christi anno 19. Tiberij, iam à 7. mensibus aliquotque diebus inchoato: seu 18. absoluto, cùm Pontius Pilatus Iudæam eius nomine administraret.

II.

SECVNDÒ, accidit ipsomet quarto post baptismum Paschate: vnde nec plura cogimur fingere Paschata, quàm quæ prædicationis Christi non interrupta post baptismum series admittere queat.

III.

TERTIÒ, Feria sexta, quæ Parasceue Sabbati dicitur à Iudæis.

IV.

QVARTÒ, ipso Paschæ die, vt Euangelica veritas exigit: quam disertè ac firmiter explicat, propugnátque Salianus, tum in decursu Annalium an. M. 4086. tum in præfatione sexti tomi. Eum tu consule, &, si lubet, etiam Tostatum.

V.

QVINTÒ, in plenilunio siue Luna 15. aut quod idem est 15. die mensis Nisan: Plenilunium enim ex certissimis Astronomorum tabulis commissum est anno æræ Christianæ 33. feria sexta, cyclo Solis 14. Lunæ 15. litterâ Dominicali D. Ideòque die Iouis sub Vesperam, seu 14. Luna, Legalis cœna à Christo Iudæisque peracta, & Christus ipso die Paschæ, vt communis fert opinio, aut saltem pridie, si Burgensem, Maldonatum ac Petauium sequi, aut Iudaïcam feriarum translationem admittere cum Munstero, Scaligero atque Caluisio malumus, infami crucis patibulo fuit affixus.

VI.

SEXTÒ, die 3. Aprilis in quã anno Christi, & æræ Christianæ 33. Luna 15. seu Paschalis celebritas incidit. Qua in re ne nobis opinionis nouitatem aut paucitatem auctorum obiiciant aduersarij, conspirantes habemus Tostatum, Burgensem, Lucidum, Peretium, Haruillæum, aliósque quos citant, ipsumque, velit nolit, Salianum, atque ex recentioribus sectariis Scaligerum, Caluisium, aliósque magni nominis scriptores, quos secuti veterem quorundam Patrum, quibus haud dubiè imposuit Tertulliani locus ille cap. 8. aduersus Iudæos quauis foricinâ næniâ confossior, traditionem de die Martij 25. cum Baronio, aliísque reiicimus, absurdámque penè omnium indoctioris æui Computistarum persuasionem deridemus, quæ omnium animos ita occupauerat, vt Tostatus sæculi sui ingens miraculum iudicio postulatus sit atque damnatus, quod inter capita viginti vnum, quæ Theologico more disputanda proposuerat, Christum non 25. Martij, sed die Aprilis 3. anno vitæ 33. ineunte, morti addictum fuisse docuisset. Qua de re Defensorij parte secunda latè conquestus multis argumentis nostram verámque sententiam egregiè propugnauit. V. pluribus Petauium, qui docebit te, si nescias, Martij 25

in feriam sextam toto cycli vnius decursu incidere non posse, nisi in his tribus annis 12. 259. & 449.

VII.

SEPTIMÒ, nititur sententia nostra altero cœlesti charactere non minùs certo Solaris illius defectus, qui tempore Passionis accidit, quemque, vt diximus, contulit Phlegon in annum quartum Olympiadis 202. licet enim habita ratione annorum Iulianorum, quibus passim vtuntur hoc tempore Chronologi, annum Christi D. 33. cum anno primo Olymp. 203. & anno V. C. 786. componamus, certum tamen est annum illum V. C. non nisi post aliquot à Passione dies iniisse, & Olymp. 202. annum quartum vsque ad solstitium æstiuum tribus saltem post Pascha mensibus continuasse.

VIII.

OCTAVÒ, solidos annos 32. cum tribus mensibus ac decem diebus vitæ Christi Domini assignamus, vel si placet cum Chronico Alexandrino, Ven. Bedâ, nonnullisque aliis Christi annos non ab eius natiuitate & Virginis partu, vt vulgò nunc omnes facimus, sed ab eius conceptione numerare, Christi ætatem ad annos 33. cum aliquot diebus putà nouem vel decem prorogabimus, sicque verum fuerit solenne illud Bedæ de ætate Domini pronuntiatum, quod perperam intellectum Computistas in absurdissimos errores coniecit, vt initio diatribæ notauimus.

IX.

NONÒ, baptizatus fuit Christus anno ætatis trigesimo ineunte, Tiberij Imperatoris labente 16. Nam superiore, hoc est, decimo quinto eiusdem Tiberij anno, vt disertè sanctus Lucas testatur, Ioannes Baptista ex eremo ad prædicandam hominibus pœnitentiam prodierat. Cui quidem prædicationi annuum ferè tempus tribuendum esse collecta ad eum secus Iordanis fluenta concionantem ex omnibus Iudææ partibus multitudo, & missa Hierosolymis, post exactos dies à Christi baptismate paulò plus 40. legatio Pharisæorum persuadet. Neque enim vel in toto capite tertio sancti Lucæ, vel in aliis Canonicis scriptis quicquam reperias, quo Christum labente Tiberij anno 15. sub Consulibus Geminis baptizatum esse demonstrari possit, vnde mirum sanè mihi semper visum, tam infirmo, imò nullo nixam argumento opinionem, omnium penè superioris memoriæ scriptorum animos imbibisse. Quid enim fiet, si quæ vno eodémque capite continentur, ad vnum idémque tempus necesse sit pertinere? Longius sanè à veritatis scopo deflexit Tirinus qui ipsis Kalendis anni Iuliani 73. æræ Christianæ 28. Ioannem ex deserto progressum prædicationis munus obire cœpisse, & sexto post die Christum accedentem abluisse commentus est, totis nouem mensibus quàm Tiberij 15. annus iniret, quod non tantum omni probabilitate caret, sed Euangelistæ prorsus aduersatur.

X.

DECIMÒ. Christi prædicationi tres annos solidos, hoc est æræ Christianæ 30. 31. & 32. attribuimus, cum totidem mensibus anni 33. quod iterum infrà tetractabimus.

XI.

VNDECIMÒ, volumus obiisse Dominum in medio hebdomadis Septuagesimæ, hoc est, anno eius quarto currente M. 4086. quod licet non adeò explotatum sit, cùm totidem ferè sint sententiæ quot capita, pluribus tamen doctioribúsque nostra probatur perplexi illius ænigmatis explicatio. Præterea in hac nostra prædicationis Christi œconomia, Antiochi Epiphanis & Anti-Christi tempora, de quibus idem Daniel & S. Ioannes meminerunt, ac verba illa Lucæ 13. v. 32. Ite, & dicite vulpi illi, Ecce eiicio dæmonia, & perficio sanitates hodie & cras, & tertio die consummor, & similia accuratè respondent.

XII.

VLTIMÒ AC DVODECIMÒ, immotam finimus vulgarem Ecclesiæ Catholicæ in putandis à partu Virginis annis, tótque iam sæculis confirmatam consuetudinem, quam alij ferè omnes Chronologi recentiores, vt pote à rationibus suis & allatis in hacce diatriba pronuntiatis, prorsus abhorrentem repudiare coguntur, eámque vel vno anno, vt Pater Salianus, vel duobus vt Scaliger cum Caluisio aliisque gregalibus suis, vel

quatuor vt PP. Dexerius, Petauius ac Tirinus; vel quinque vt Keplerus, vel sex, vt censuisse creditur, Capellus anteuertere contra Ecclesiasticam traditionem non verentur. Maiores enim nostri quod inuenerunt, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Aug. lib. 2. contra Iul. cap. 10.

Ar enim opponitur nobis coniuncta Dionis & Iosephi auctoritas, inuictum & Achilleum argumentum: Verùm Iudæi hominis atque Romani verbis Ecclesiæ vocem, & à fidelibus in vsum receptam Christi Domini æram præponderare arbitror. Deinde Dioni cum Iosepho non conuenit: ille enim Iudæi Regis, neque enim Archelai meminit, exilium consulatu Aruntij & Lepidi consignat: ille ad annum ab Actiaca victoria 37. septennio ante mortem Augusti seu Iul. 52. Archelai ruinam & patris sui natales reuocat Videant ergo qui dissentientem à Iosepho Dionem hìc amplectuntur, quo iure eundem in Solymorum facta per Sosium expugnatione deseruerint. Tertiò, Dionem constat in Iudæorum historia hospitem planè ac peregrinum fuisse; nec mirum, cùm ipso antiquior & accuratior Tacitus in Iudæorum & Christianorum rebus fœdè non semel hallucinatus sit. Quartò, Iosephus ipse secum pugnat, modò enim Archelao nouem Tetrarchiæ annos, modò decem attribuit. Denique quàm sublesta sit & incerta recutiti illius historici fides, docebunt, inter cæteros, Baronius ac Salianus. Hic singulis ferè Annalium suorum paginis & præfatione Tomi secundi, ille in Apparatu, & anno salutis reparatæ octauo. Cui tamen, non æquè ac illi, infensus esse velim.

NONNVLLA COROLLARIA.

Vt autem totam hanc diatribam, quæ multa paucis complexa est, suo tandem exitu concludam, tria Corollaria subiungo.

I.

PRIMVM, nos in digerenda per singulos annos Christi & Apostolorum historia receptam à ducentis supra mille annis in Ecclesia Romana, & omnium gentium litteris ac vocibus comprobatam numerandi consuetudinem sequi, quam tanti fecerunt doctissimi quique Catholici posteriorum temporum scriptores, Baronius, Bellarminus, Toletus, Onuphrius, Pererius, Barradius, Salmeron, Gordonus, Torniellus, Massæus, Haruilleus, &c. vt maluerint Consulares Fastos sollicitare, Probo imperatori optimo vnum vel duos imperij annos eripere, vnum vel duo Consulum Romanorum paria (Baronius cum suis, Fuluium Æmilianum & Pomponium Bassum II. in anno Christi 259. & Cornelium Sæcularem cum Iunio Donato in anno Christi 260. Onuphrius eiúsque sequaces M. Aurelium Probum & Anicium Paulinum in anno 277. alij alios) ex albo Consulari expungere, & quod durius videtur, certissimis Astronomorum demonstrationibus nuntium remittere, quàm in re tanti momenti ab Ecclesiæ Romanæ, quæ columna est ac firmamentum veritatis, & Catholicorum veterum sententia, vel tantillum discedere memores illius sententiæ: *Interroga patrem tuum & maiores tuos, & dicent tibi*. Deut. 32. Nos verò in nostra Chronologia Æmilio Probo sex Imperij integros annos cum Zosimo, Victore, Eutropio, Eusebio, Cassiodoro atque ipso Iuliano Apostata assignamus, Consules suo loco non mouemus, Demonstrationes Astronomicas ab eclipsibus Solis & Lunæ, à situ Planetarum, ab annis Nabonassari, à characteribus ex Censorino prolatis ingeniosè petitas omnino recipimus, & quod caput est, annos Christi ab annis æræ Christianæ cum Ecclesia non seiungimus. Placet enim placebitque, fauentibus superis, semper S. Augustini præclarum illud axioma, Nos in nostræ Religionis historia fulti auctoritate diuina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cætera in sæcularibus litteris, cap. 40. lib. 18. de Ciuitate Dei. Nec tamen exoticam eruditionem profanósque Historicos abiicimus, sed eos vbi à veritate exorbitant, in rectam regiámque Scripturæ & Ecclesiæ viam, quanta fieri potuit dexteritate, reduximus, non irrito, vt speramus, conatu.

II.

ALTERUM est in annis Mundi, Diluuij, Abrahami, Legis & Templi cum doctissimis Annalium veteris instrumenti conditoribus Torniello ac Saliano consentire, licet hic Onuphrium secutus vno anno, ille ex Baronij mente, toto biennio Dionysianos calculos præuertat. Annus enim Iulianus 45. Christi D. Natalis à quo sequenti anno initium ducit Æra communis, apud vtrumque putatur Mundi 4053. Diluuij 2397. Abrahami 2015. Exodi seu legis 1510. Templi 1031. Solutę Captiuitatis 538. Eadem quoque fuisset in Tirini Chronico annorum subductio, nisi septuagenariam desolationem totis 40. annis decurtare, & Persarum Monarchiæ regnique initia peruertere statuisset, in aliis enim ferè omnibus vsque ad euersum à Chaldæis templum, quæ quidem ad Historiam sacram spectant, cum illo, vt etiam cum Bonfrerio atque Haruillęo conspiramus.

III.

TERTIUM, in asserendis quatuor Paschatibus & distribuenda per tres annos totidémque ferè menses Christi D. vel à Baptismo, vel saltem à nuptijs in Cana celebratis prędicatione Eminentissimis Cardinalibus Baronio, Bellarmino, Toleto, ac penè omnibus Catholicarum partium Doctoribus, Iansenio, Onuphrio, Suari, Barradio, Tornie lo, Saliano, Haruillęo, Tirino, Phelippæo, & infinitis aliis, vt antiquiores silentio premam, doctrinam nostram plácuisse. Haud tamen nescius sum P. Petauium trium duntaxat Pascharum propugnatorem in 12. de Doctrina Temporum nouam κυριακῆς κηρύξεως διάρθρωσιν procudisse, quam P. Bernardinus de Montereul in tersa & eleganti Vitę Christi Domini & Euangeliorum versione κατὰ πόδας sequutus sit: verùm apud me, præter ea quę superius protuli causę nostrę momenta, ingenuè fateor plus posse conspirantem tot eruditorum hominum sententiam, quàm ipsam, si fas ita loqui, rationem.

NON fuerat difficile post viginti quatuor à prima editione annos plura iis addere, ac nuperos refutare scriptores: Verùm quę placuit olim, etiam nunc arridet concinna breuitas, multa, paucis, & clarè explicans.

R. P. Iacobus Grandamicus, Namnetensis, Societatis nostræ Theologus, Regijque Flexiensis Collegij Rector, nuper ad me misit excusum hoc Anno 1661. Fixæ Andegauorum librum in 4. in quo conquisitis hinc inde validissimis argumentis, delineatisque variarum Eclipseon schematismis, præcipua Demonstrationis nostræ Chronologicæ, quæ iam ab Anno 1638. prodierat, capita confirmare aggressus est. Illam, amabo, Lector Temporum studiosus indagator lucubrationem euoluat, diligenterque expendat, nec eum impensæ in ea meditatione operæ vmquam pœnitebit.

Ex Typographia IOANNIS HENAVLT. Anno 1661.